

I.

PROOEMIUM.

Admirabilis isthæc, quam Nos Mundum appellamus, Summi Artificis Officina, lucidi ad instar speculi exhibet undiq; & ubiq; impressa Divinitatis vestigia. Elucent quippe in minimis, medioximis, & maximis certissima Majestatis, Potentiæ, & Sapientiæ Infinitæ documenta. Ut jam alia naturæ arcana taceamus, fontem, solet Asia ostendere ingentem bituminis vim de se fundentem, cujus effluvio Babylonæ a Muros fuisse interlitos satis constat. Habet hîc quod miretur, habet quod veneretur immortalis Mortalium animus. Toties namque ad primi Bonorum Fontis cognitionem & celebrationem rapitur, quoties ebullientem secretionis venæ liquorem contemplatur. Sed his non semper se continet cancellis, verum curiositatis vento abreptus nititur effingere Fontes Asiatico non absimiles. Avida sc. novitatis Novatorum ingenia, tales quærunt Fontes, quorum salientem, bituminis loco, vani & profani figmenti vim sollicitè haurire, proq; coagmentatione Muro- rum Babel, aut falsæ doctrinæ, avidius exerpere possint. Suo istud illustret exemplo splendida Præfulis Romani Curia, quæ mox pura, *fictarectius est in Monachorum Yacuna litantium cerebro facta, nataque*, hominis creati tuetur naturalia; mox sufficientissimam loquentis Nobiscum in Scriptura DE I negat sufficere revelationem; mox pro autoritate Papalis throni, *ut imaginatur infallibili*, acriter decernat, ex hisque Fontib. omnes penè ac singulos deducit erronei dogmatis rivulos. Tribuat veritati testimonium & illa errorum sive colluvies, sive sentina Ne-Arianorum Secta, quæ dum rationis humanæ cum fidei mysteriis harmoniam jactitat, quid, nisi perennem hæreseos scaturiginem indice digito monstrat, ostendat, revelat? Quin & ipsa (licet Augustæ Nostræ Confessionis Augustanæ societatem ambiat) *Reformatorum Schola* suæ *etæpodoziæ* originem isti debet capiti, quòd ex *Fontibus* turbidis: Negatæ in Cœna corporis Dominici præsentia; Decreti Prædestinationis absoluti; & sanctitatis, *ut vocant*, liberorum fœderalis, Manichæo-Stoica haurit axiomata. Quas diversarum Religionum hypotheses censorio stylo nôtare, nostri jam non est propositi. Aliam id exigit ætatem, aliud requirit judicium ut firmiter, ita maturius. Placet interim vel ipsâ blandi veris clementiâ invitante, (quæ oclusos & nivium copiâ obstructos aperit Fontes) Fontes *Calvinismi* perlustrare, illosque primis tirocinii lincis adumbrare. *Cujus* viscera, pridem ab aliis confossa, dum velitatione umbratili ad quandam pugnæ speciem in arenam reproduco, & diverso habitu ad *Teare idiov* colloco

CHRISTE scatebra Boni, vitæ Fons, Vena salutis,
Huc ades, & vivi porrige Fontis aquam!

A

Fons